Morbio 24 (136)

In Christi nomine Amen. Noverint universi et singuli, hoc presens publicum Transumpti instrumentum inspecturi visuri lecturi pariter et audituri. Quod Nos Cosmas
Fabba Decretorum Doctor Canonicus Torcellanus Rmi in xpo patris et dni dni Hieronymi Trivisani epi Cremon et Comitis auditor cum facultate ordinaria
ac cum potestate et auctoritate vicarii in spiritualibus et Temporalibus generalis, litteras Sanctissimi in xpo patris et dni nri dni Leonis divina providentia pape Decimi
Datas Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominice Millesimo quingentesimo Decimonono, Quartodecimo Calendas Octobr, pontificatus eiusdem dni Leonis anno
Septimo eius vera bulla plumbea ad cordulam canapis more romane Curie impendenti bullatas Sanas siquidem et integras non viciatas non cancellatas
nec in aliqua earum parte suspectas Sed omni prorsus vitio et suspitione carentes, nobis per venerabilem et religiosum virum dnum fratrem Cherubinum de
Ferraria priorem monasterii et conventus fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi commorantium in contrata Sancti Illarii Cremone. Coram notario et testibus infrascriptis unter
presentatas recepimus vidimus legimus et diligenter inspeximus Quarum quidem litterarum apostolicarum tenor sequitur et est talis de verbo ad verbum ut
LEO epus Servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus universis Archiepis et epis ac Dilectis filiis Abbatibus et quibusvis aliis personis in dignitate
ecclesiastica ubilibet constitutis Salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie licet immeritis disponente dno presidentes circa curam ecclesiarum et
piorum locorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti. Ut iuxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispendiis et profectibus divina
cooperante clementia salubriter intendamus. Sane Dilectorum filiorum visitatorum procuratoris generalis et fratrum congregationis Sancti Hieronymi Jesuatorum
nuncupatorum conquestione percepimus quod nonnulli Archiepi et epi, aliique ecclesiarum Prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam seculares. Necnon
Duces Marchiones Comites Barones Nobiles Milites et laici communia Civitatum universitates Oppidorum Castrorum villarum et aliorum locorum ac
alie singulares persone Civitatum et dioc et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt Castra villas et alia loca, terras domos possessiones
iura et iurisdictiones. Necnon fructus census redditus et proventus dictorum Congregationis et nonnulla alia bona mobilia et immobilia Spiritualia
et temporalia ad visitatores seu procuratorem et fratres ac Congregationem predictos spectantia. Et ea detinent indebite occupata. Seu ea detinentibus prestant
auxilium consilium vel favorem. Nonnulli etiam Civitatum dioc et partium predictarum qui nomen dni invanum recipere non formidant eisdem
visitatoribus seu procuratori et fratribus super predictis Castris villis et locis aliis terris domibus possessionibus iuribus et iurisdictionibus fructibus censibus
redditibus et proventibus eorundem et quibusvis aliis bonis mobilibus et immobilibus Spiritualibus et temporalibus et aliis rebus ad eosdem visitatores
seu procuratorem et fratres ac Congregationem spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare dicti visitatores seu procurator et
fratres nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam Sedem habere recursum providere
ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes
eisdem visitatoribus seu procuratori et fratribus remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas. Et aliis aditus committendi similia
precludatur. Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus. Quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra
loca in quibus deputati estis conservatores et iudices prefatis visitatoribus seu procuratori et fratribus efficacis defensionis presidio assistentes non
permittatis eosdem super illis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad visitatores seu procuratorem et fratres predictos spectantibus ab eisdem vel quibusvis
aliis indebite molestari, vel eis gravamina seu damna vel iniurias irrogari facturi dictis visitatoribus seu procuratori et fratribus. Cum ab
eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fuerint requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Castrorum villarum terrarum
et aliorum locorum, iurisdictionum iurium et bonorum mobilium et immobilium reddituum quoque et proventuum et aliorum quorumcumque bonorum. Necnon
de quibusvis molestiis iniuriis atque damnis presentibus et futuris in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem summarie simpliciter
et de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iustitie complementum, occupatores seu detentores
presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi. Necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status gradus vel conditionis
extiterint, quandocumque et quotienscumque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo invocato ad hoc si
opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifatii pape octavi predecessoris nostri in quibus cavetur ne aliquis extra suam
Civitatem et dioc nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue dioc ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a
sede deputati predicta extra civitatem et dioc in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam
dietam a fine dioc eorundem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur. Seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis
et violentiis et aliis que iudicialem requirunt indaginem penis in eos si secus egerint et in id procurantibus adiectis conservatoribus se nullatenus intromittant,
quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum
ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu si aliquibus
communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod excommunicari suspendi vel interdici, seu extra vel ultra loca ad iudicium evocari non possint per litteras
apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi [...] eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia
indulgentia dicte Sedis generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam [...] non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac
parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore habenda [...] in nostris litteris mentio specialis. Ceterum si per summariam informationem super hiis
per vos habendam vobis constiterit quod ad loca in quibus occupatores detentores presumptores molestatores iniuriatores huiusmodi, ac alios quos presentes litere concernunt
pro tempore morari contigerit pro monitionibus ipsis, ac citationibus eis faciendis [...] non pateat accessus. Nos vobis citationes et monitiones quaslibet per edicta
publica locis affigenda publicis, partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad notitiam citatorum et monitorum huiusmodi pervenire valeat,
faciendi plenam et liberam earundem tenore presentium concedimus facultatem. Ac volumus, ac predicta auctoritate decernimus, quod monitiones et citationes huiusmodi
perinde arctent ipsos monitos ac citatos, ac si eis personaliter ac presentialiter insinuate et intimate extitissent. Quodque quilibet vestrum prosequi valeat articulum
etiam per alium inchoatum quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus. Et a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus
et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis
et non ceptis presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra, et cuiuslibet
vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset. Quodque presentium literarum Transumptis, manu alicuius
notarii publici subscriptis et sigillo alicuius Prelati seu persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis, plena ubique fides adhibeatur sicut ipsis litteris
adhiberetur si forent originaliter exhibite vel ostense, constitutione predicta super conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstantibus
presentibus perpetuis temporibus valituris. Dat Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominice Millesimo quingentesimo Decimonono. Quartodecimo
Calendas Octobr, pontificatus nostri Anno Septimo. Signatum F. Marin. Quibus quidem litteris apostolicis nobis et per nos sic ut premittitur presentatis et receptis
visis lectis et diligenter inspectis et sanis et illesis, et non viciatis nec abrasis repertis et inventis fuimus pro dictum dnum fratrem Cherubinum de
Ferraria priorem dicti monasterii et conventus fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi commorantium in dicta contrata Sancti Illarii Cremone instanter et debite
requisiti, quatenus cum equo et atto quod prefate litere apostolice in diversis locis exhibende sint, et difficile sit ipsas ad singula quecumque loca deferri, easdem litteras
apostolicas transumi exemplari, et in publicam transumpti formam redigi facere, et huiusmodi transumpto auctoritatem et decretum officii nostri et prefate
Curie episcopalis Cremone interponere, fidemque indubiam huiusmodi Transumpto in iudicio et extra ubilibet adhiberi mandare, et decernere deberemus
et dignaremur. Nos igitur Cosmas Fabba auditor et vicarius antedictus attendentes requisitionem huiusmodi pro prefatum dnum fratrem Cherubinum priorem
antedictum nobis ut fertur factam fore iustam et rationi consonam, Quodque iusta petentibus non est denegandus assensus, prefatas litteras apostolicas per infrascriptum Marcellinum
de Pirenardis, notarium publicum Cremon et prefate Curie episcopalis Cremone notarium Transumi et exemplari, et in hanc publicam Transumpti formam
redigi mandavimus et fecimus. Et quia dictum Transumptum cum prefatis originalibus litteris apostolicis collationatum et diligenter auscultatum
concordare invenimus cum eisdem de verbo ad verbum, propterea decernimus prout per presentes volumus et decernimus, auctoritate dicti nostri vicariatus
officii, quod huiusmodi transumpto publico in iudicio et extra ac ubique locorum de cetero detur et adhibeatur talis et tanta fides, qualis et quanta prefatis litteris
apostolicis originalibus data fuit et adhibita ac daretur et adhiberetur si prefate litere apostolice originaliter exhiberentur. Et cui Transumpto ac quibus omnibus
et singulis premissis auctoritatem nostram, et dicti nostri publici vicariatus officii interposuimus ac per presentes interponimus pariter et decretum. In quorum
omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes litteras fieri, et per dictum et infrascriptum notarium subscribi et publicari mandavimus, sigillique
nostri iussimus et fecimus appensione communiri. Dat et actum Cremone in episcopali pallatio prefate Civitatis et in Camera audientie nostre posite
in dicto pallatio, sub Anno incarnationis Dominice Millesimo quingentesimo vigesimo Indictione octava. Die vero Jovis, vigesimosexto mensis Aprilis
pontificatus prefati Sanctissimi dni nri pape Leonis decimi Anno octavo, presentibus ibidem Spectabili dno Comite Marco de Covo. et [...] Alghiso cive et
notario publico Cremon, ambobus testibus notis et idoneis ad hec specialiter adhibitis et vocatis.



Ego Marcellinus Pirenardus civis et clericus Cremonen publicus imperiali et apostolica auctoritatibus notarius et de collegio notariorum dicte Civitatis necnon notarius
officii Curie episcopalis eiusdem Civitatis, quia dictarum literarum apostolicarum presentationi et receptioni ac requisitioni exhibitioni transumptioni
collationi et auscultationi omnibusque aliis et singulis premissis dum sic ut premittitur agerentur et fierent una cum prenominatis testibus presens fui eaque
omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ideo hoc presens publicum transumpti instrumentum manu aliena fideliter scriptum exinde confeci subscripsi publicavi
et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi una cum prefati Rdi dni vicarii sigilli appensione in fidem
et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

Morbio 24 (136)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1881110753-16/fragment/page=0002